

DISSERTATIO ACADEMICA

De

Demonstratione Oratoria;

Quam

Conf. Ampl. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,
Præside

Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

Eloq. Prof. Reg. & Ord. R. Acad. Litt. Hum. Hist.
& Antiquit. Membro,

PRO GRADU

Publico subjicit Examini

ESAIAS HILDEEN,

Stip. Reg. Borea-Fenno,

In Auditorio Majori die XIX. Junii MDCCXCV,

H. A. M. C.

ABOÆ,

Typis ERENKELLIANIS.

Declaracion de los
Derechos del Hombre
y del Ciudadano
y de la Constitucion
politica de Francia
en la que se establecen
los principios fundamentales
de la libertad, la igualdad
y la fraternidad entre los
hombres, y se declaran
los derechos y las libertades
que corresponden a la
naturaleza humana.
Por el Congreso de la
Asamblea Nacional
que se reunió en
París el 26 de Septiembre
de 1789.

LIBRO I.
De los Derechos del Hombre



§. I.

Demonstrationis vocem, si physicum spectes ejus sensum, actum significare aliquid indicandi & ostendendi, constat. Unde tandem enatus fuit sensus Logicus, quo maxime de probatione rei, sive sententiae atque asserti, firma & plena adhibetur, ac definitur *ratio*, ut CICERO NIS utar verbis, quæ ex perceptis, hoc est certo cognitis, ad id quod non percipiebatur, adducit. Hoc sensu cum usurpatur Demonstrationis vocabulum, duo ad illam requiruntur: primum nempe indubitata immotaque principia, quorum plane constet veritas; deinde ex iis deductio necessaria, quæ nexus inter sumta propositionemque tam necessarium atque evidentem ostendat, ut hæc non possit negari, nisi & illa negentur. Hanc demonstrandi vim Philosophi nonnisi in certis, exploratis atque explicatis locum invenire veritatibus judicantes, sibi imprimis vindicarunt; exclusis non modo Theologia positiva, utpote auctorati supernaturali nixa, sed & Historia omnis generis, Oratoria cet. quæ artes, utpote requisita ad demonstrationem rationum conditione destitutæ, hujus ope accurate firmari & in constantem indubioque nexus cohaerentem redigi compagem, non possint. Ad eam enim

A

for-

*) 2 (*)

formandam poposcerunt, quo ad *materiam*, veritates necessarias tantum atque universales, nixas principiis quæ sine ratiocinio admitti & concedi possint & debeant; quo ad *formam*, ut per Syllogismos, ad Dialecticorum præscriptum conformatos, institueretur. Hanc viam principiis universalibus scientias superstruendi, quæ in Mathesi excolenda & discenda eximii usus esse deprehensa fuit, cum in scientiis quoque reliquis, ut veritati probanda inservientem, & que comode adhiberi posse, Schola Wolffiana autumaret; eam in scientiis his proponendis severè sequi conata est. Sed nonne intellectus humanus veritatem, undecunque hæc cognoscatur, modo ex principiis & enunciationibus immotis deducatur, & his, per consequentias certas, licet non ad morem Mathematicorum conformatas, accurate superstruitur, & que tuto agnoscit, eandemque sentit ei ad sentiendi necessitatem (*)? Quidni igitur Demonstratio etiam in factis & rebus sensuum testimonio, eique innixa

(*) PRIESTLEY, Vorl. über die Redekunst und Kritik, I. Vorl. p. 45. sqq. „Wahrheit, sie sey Geometrisch, Metaphysisch, Moralisch, oder Theologisch, ist allemal im grunde von einerley Art, und ihre Evidenz wird von den nämlichen menschlichen Gemüthern auf eine ähnliche Art eingesehen. — Jedweder Satz wird von den Mathematikern entweder aus Axiomen, das heisst, aus für sich evidenten Wahrheiten, bewiesen. &c. Eben so kommen wir bey allem, was wir demonstrieren wollen, am Ende auf für sich evidente Wahrheiten zurück; in moralischen materien auf das Bewuststeyn, oder innere Gefühl; und in geoffenbarten Religionswahrheiten, auf den klaren Sinn der heiligen Schrift. — Ich will nicht die Geometrischen Kunstmörter, Axiom und Definition, noch auch die sehr strenge und genaue Methode anrathen, in welcher die Mathematiker dieselben auf einander folgen lassen. Es ist nicht der Nahme, sondern die Sache die ich empfele; und bloss in so fern die Vernunft ein ähnliches Verfahren in ähnlichen Fällen anrath.“ — Cf. LOCKE de Intellectu Humano Lib. IV. C. VII.

*) 3 (*

indubia testium auctoritate, confirmatis, locum habere posse? Quidni ubique, si modo rationes (quocunque cæterum habitu adornatae) firmæ adfuerint, ac intellectui satisfacientes, haberi posse statuamus? In Hermeneuticis, Juridicis ac Historicis, ut in Mathematicis, &c? Conjecturis modo & opinionibus, a veritate accurate confirmata semper diligenter secretis.

§. II.

Ubicunque igitur fides & persuasio animi certa (h. e nullis dubitationis fluctibus sollicitata) gigni potest; ibi Demonstrationem quoque locum habere, jure sumimus (*). Cur igitur non in Orationibus etiam, ubi argumenta idonea ex certis principiis accurate deducuntur? Licet autem quisque rem rite perpendens, usum necessitatemque Demonstrationis in Oratione bene adornata, extra omnem dubitationis aleam esse positam intelligat; attamen variis objectionibus afferendis, Oratoria imprimis Sacrae abjudicari.

A 2

di-

*) QUINCTILIANUS *Instit. Orat. Libr. V. C. 10.* „Cum sit argumentum ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud & quæ, quod est dubium, per id quod dubium non est, confirmat: necesse est esse aliquid in causa, quod probatione non egeat. Alioqui nihil erit, quo probemus, nisi fuerit, quod aut sit verum, aut videatur, ex quo dubiis fides fiat. Pro certis autem habemus primum, quæ sensibus percipiuntur, ut, quæ videmus, audimus, qualia sunt signa; deinde ea, in quæ communis opinione consensum est: præterea, quæ legibus cauta sunt: quæ persuasione etiam si non omnium hominum, ejus tamen civitatis aut gentis, in qua res agitur, in mores recepta sunt; ut pleraque iure, non Legibus, sed moribus constant; si quid inter utramque partem convenit: si quid probatum est; denique, cuicunque adversarius non contradicit.“

dicare voluerunt (*). Primo quidem quod assertunt, fidem & persuasionem animi certam, argumentis tantum certis elici, in Oratione vero argumenta saepe nonnisi verisimilia adhiberi; illud neque negamus, neque id rem omnino attingit (**). Ne in Philosophia quidem aliud nobis est refugium, ubi firmis destituti sumus rationibus, quam ut in probabilibus acquiescamus; unde probatio tantum verisimilis enascitur. Ubi vero certa firmaque adsumt argumenta (quae Oratoribus saepe praesto esse, quis negabit?) ab ejus aequo ac Philosophi demonstratione, certitudo oriatur. Deinde saepe in Oratione infirma argumenta conjungi firmis, commemorant; ac saepe illa, ut magis popularia captuique concionis accommodata, plus apud hos valere, adeoque, quia faciliorem ad animos auditorum aditum habent, praecipue esse adhibenda. Sed neque hoc usum necessitatemque demonstrationis Oratori adimit; cui, fidem quaesituro, ubi eam non aequo feliciter Demonstratione rigida obtinet, alia adjungere auxilia, quae magis persuasionem adjuvent & licet & incumbit. Cum vero Orator firmis argumentis, apte collocatis, saepe sententiam suam demon-

(*) Notum est, tempore quo viguit Philosophia Leibnitio-Wolffiana, multos Praecones Sacros in concionibus quoque suis demonstrationes rigidas adhibere tentasse; quas cum alii Oratoris fini obtinendo obesse viderent, omnem demonstrandi rationem, ut inanem rejiciebant, Oratoriam illam & Philosophicam nihil differre putantes.

(**) Quadrat ad hanc rem, quod dicit PRIESTLEY I. c. 8 Vorles, pag. 51, „Da die Materien, welche diese (der Moralist und der Theolog) abhandeln, nicht allezeit einer strengen Demonstration fähig sind, so müssen sie zu mancherley Beweisen ihre Zuflucht nehmen, wovon ein jeder etwas zur Wahrscheinlichkeit, die, ihrer Natur nach, verschiedne Grade leidet, beytragen kann, bis die vereinte Stärke von ihnen allen hinreichend ist, den Beyfall zu bestimmen.“

monstrare valeat; s^ape omnino iisdem uti (quod officium suum videndi & proferendi, quod in quaque re sit ad persuadendum idoneum, expolcit), necesse habet. Si enim Orator, licet argumentis firmis & ad sententiam suam probandam aptis suffultus, eadem tamen adhibere negligat; aut incuriam, aut turpem ignorantiam prodit. Hinc sequitur, ut Demonstratio etiam in ejus opere locum omnino habeat. Quod denique autumant, Oratorem suo sermoni adjungere *Mores & Affectus*, nihil ad usum Demonstrationis infringendum valet. His enim Orator, partim ad aditum faciliorem Demonstrationibus suis comparandum, partim, ut re intellectui probata, etiam voluntatem ad agendum impellat, recte utitur (*). Quum igitur natura hominis ita sit comparata, ut animus ejus affectibus exercitandis mutetur & in judicando facilius flectatur, (ratio-

ni-

(*) BLAIR Vorles. über Rhetorik und schöne Wissenschaften, III. Th.
29. Vorl. p. 102. sqq. „Allenthalben, wo Ueberzeugung der Zweck
„ist, ist es der Verstand allein, an dem man sich zu wenden hat,
„Nur Gründe und bündige Schlüsse sind die Mittel, durch die ein
„Mensch dem andern dasjenige was wahr, richtig oder gerecht ist,
„einleuchtend zu machen sucht: Ist es hingegen um Ueberredung
„zu thun, so bleibt der fall keinesweges mehr derselbe, Niemand
„wird, in dingen, wo es auf das Thun ankommt, unterlassen die
„Leidenschaften desjenigen, den er im Ernst zu etwas überreden
„will, in Bewegung zu setzen, und das aus dem sehr einfachen
„Grunde, weil die Leidenschaften die grossen Triebfedern der
„menschlichen Handlungen sind. — Alles, was sich hierüber im
„allgemeinen sagen lässt, ist, dass, wenn wir wünschen, das irgend
„ein durch unfern Vortrag erregtes Gefühl tiefen Eindruck machen
„soll, wir zuvörderst bemüht seyn müssen, den Verstand und die
„Beurtheilung auf unsere Seite zu bringen. Die Zuhörer müssen
„überzeugt seyn, dass gute und hinreichende Gründe vorhanden
„sind, sich für die Sache, von welcher die Rede ist, mit Wärme
„einnehmen zu lassen.“

*) 6 (*

nibus tamen firmis & idoneis simul haud neglectis), qui attentionem non tantum assensumque allicit, sed ad agendum quoque, maxime in rebus difficultibus & molestis, impellunt; facile patet, neque mores, qui leniter tantum & sensim animum afficiunt persuasionemque eliciunt, neque affectus, qui incitata & magna vi agunt, persuasionemque exprimunt (*), impedire, quominus intellectui Demonstratio luculenta & solida exhiberi queat.

§. III.

Quum vero variæ sint res, quæ materiam dicendi Oratori præbeant, & temporis cujusque rationem, quæ varia cautiones exposcit, respicere ille necesse habeat; neque quod ad argumenta aut diligenda aut adhibenda attinet, eandem ubique viam ingredi licet. Sunt enim casus, ubi subtiliori Demonstrationi locus non conceditur, cum sc. de rebus non certis, quæ indubitate argumenta haud admittunt, dicendum est; quibus locis alia probatio, ex moribus, præjudiciis etjam & erroribus auditorum nonnunquam ducta, plus ad persuasionem eliciendam, quam solidissimæ rationes, efficere potest: quoties nempe auditores aut opinionum commentis nituntur, aut veritatem argumentis subtilibus explicatam perspicere minus valent &c. Sunt etjam casus, ubi nonnisi temporaria auditorum persuasione opus est; quam si Orator, quibuscumque argumentis adhibendis, sibi conciliaverit, finem a se intentum attigit. Quod olim in Judiciis, cum Oratori imprimis id agendum esset, ut in praesenti reum ex iniuria eriperet, aliquando etjam in Republica, cum in rebus asperis & desperatis con-

(*) vid. ERNESTI *Init. Rhet.* P. I. T. I. C. IX. §. 106.

7

illa repente capienda essent, non raro evenisse; Scriptores rerum Græcarum Romanarumque satis testantur. Hujusmodi temporibus Oratores summi *Demosthenes* atque *Cicero* suam quondam facultatem ostenderunt. — Sed sunt etiam materiae & occasionses, in quibus firmissima & exactissima Demonstratio locum habeat; ubi igitur illa, cum ad finem attingendum adhiberi feliciter possit, minime negligenda est. Usus enim quem via demonstrandi tuta, præ incertiore, Oratori præstat, tam eximius est; ut nisi a stulto contemni aut abjici haud possit. Auditorum enim ingenio atque eruditione conspicuorum, qui sibi tenebras offundi non facile patiuntur, temerariisque opinionibus offenduntur, desiderio & studio, argumentis firmis affrendis satisfacit. Rem in veritatis lucem proferendo, intelligentia eorum ita eam commendat, ut assensum eorum æquum & spontaneum sibi conciliet. Deinde argumenta adversariorum, & alia quæ contra sententiam suam dici posse videntur, hoc consilio utens, facilius resolvit, & efficit, ut minus adsit periculi, ne objectiones eorum, diligenter jam submotæ, ratiocinia ejus conturbent. Is deinde ex hac demonstrandi diligentia usus proficiuntur, quod Orator eo ipso principia rei Auditoribus inculcandæ in animis eorum ponit solida, etiam in posterum validura. Unde simul per studium suum in veritate investiganda, ac luce apud auditores accendenda & propaganda possum, successu haud carente, magnam sibi parit voluptatem. — Vim istam quam argumenta bene tractata in animis hominum exserunt, considerantes; quin veritas apud ignorantes quoque irrefragabilis saepè reddi possit, haud dubitamus. Ac si Orator Auditores suos attentos reddere recte valet; facile argumentis popularibus adhibendis efficit, ut cognitionem rei vivam mentibus eorum instillet,

&

& astensum eorum non modo in praesenti, sed & in posterum duraturum atque constantem, comparet. Ut vero hoc feliciter perficere valeat, multam operam diligentiamque adhibere, & accuratam sibi animi humani cognitionem parare, necesse habet. Quantam hoc etjam nomine *Demosthenes* atque *Cicero*, summi illi Oratores, laudem admirationemque mereantur; Orationes eorum adhuc superstites, & qui eorum facta meritaque memoriae prodidere Scriptores, abunde testantur. Quum igitur Orator Auditoribus suis & cordatiорibus & rudioribus, scita probandi arte optime inserviat; sequitur, ut hujus rei studium illi commendatissimum esse debeat.

§. IV.

Quam sollicitam demonstrandi curam Oratoribus nostris Sacris, magis munere Doctoris, quam Oratoris fungentibus, imprimis injungi; cuique gravitatem provinciae illis demandatae consideranti, facile patet. Illis enim, persuasionem tantum temporariam, ut Oratoribus olim Graecorum Romanorumque, quibuscunque argumentis adhibendis ad persuasionem gignendam pertinentibus, quaere non licet; sed profundos & constantes in mentibus audentium effectus gignere studentes, non fculneis (cum tanta copia suppetat firmissimorum), multo minus falsis, sed apitis & validis semper argumentis, ad persuasionem auditorum conciliandam, utantur oportet. Oratori enim Sacro, vi officii sui, hoc injunctum est, ut mentes auditorum frugifera doctrina collustret, vana loquacitate, cui solida non subsunt fundamenta, penitus spreta (*). Cum

(*) Perpendere hi in primis debent, quod bene monet Cel. BASTHOLM: „Med skrik och häftiga rörelser kan man drifva oförnufstiga djur; men den förnuftiga människjan låter sig icke böjas, utan med förnuftiga bevis.“ *Anvisn. at predika.* p. 68.

felicitatem emendationemque auditorum, ope veritatum Religionis, animis eorum inculcatarum quærendam, intendant; ad optimos quasque suscipiendas actiones, & malas quascunque omittendas, permovere eosdem necesse habet. Quo vero felici hac in re non careat successu; salutarem doctrinam, fundamentis aptis & solidis superstructam, dilucide & populariter (ut ab omnibus intelligatur, a more Philosophorum res subtiliter tractantium, scite recedens) exponere, & firma principia, quæ ad fidem & emendationem animi, rationemque recte vivendi conferunt, jupiter exhibere, necesse habet. Nisi enim ille præcepta Religionis, argumentis solidis & rei proponendæ accommodatis, audientium animis insinuet; doctrinam christianam, cuius veritatem tueri, & alios ad eam animo amplectendam permovere debet, calumniantium reprehensioni exponit. Cum vero intellectum auditorum bene instituit & lumine veritatis quasi circumdedit; animum eorum simul, ad obsequium monitis dictisque suis præbendum, facilius adducere valet. Quæ omnia Oratori Sacro, quoconque modo conari non convenit; sed propositiones suas argumentis munire debet aptis, quæ partim e Sacris literis pertinentur, (unde vel claris verbis expresa afferre licet, vel legitima consecutione deducere), partim e rationis principiis, unde ratiocinia conficiuntur ad scopum suum attingendum prudenter conformata. Persuasio vero audientis, convenientia eorum ostendenda quæ Scriptura Sacra asseverat, cum iis quæ rerum natura consulenda cognoscuntur, magnopere adjuvatur. Ex quibus patet, Oratorem Sacrum argumentis solidis & indubitatis propositiones suas probare, diligentissime debere.

§. V.

Quamvis autem Orator sententiam suam argumentis firmis atque ad rem demonstrandam idoneis, stabilitam,

B

au-

ditoribus exhibere studeat; id tamen non impedit, quod minus simul populariter, h. e. ad captum concionis accommodate, dicat (*). Subtiles enim definitiones & arida forma Syllogistica, a Logicis præscripta, ad præcipuam demonstrationis vim efficiendam non pertinent. Quæ ratio demonstrandi, quamvis Philosopho, qui auditoribus plerumque doctioribus, ingenii acrioris, & attentioni rei uni diu affigendæ adfuetis, rem proponit, concedatur; in Oratore tamen, qui auditoribus ingenii sæpe tardioris habetiorisque, in literis minus versatis, & aciem mentis in unam rem diu vertere non valentibus, dicit, maxime reprehendenda est (**). Quare, quo finem a se intentum attingat, formam quæ dicitur scientificam, & subtilitatem eruditam fugiens, ad communem sermonis simplicitatem & consuetudinem, quæ curam solide & indubitate dicendi minime excludat, sese dimittere necesse habet (***)^h. In hoc

(*) ERNESTI I. c. P. I. S. II. C. IV. §. 218. „In delectu argumentorum hoc videndum, ut sint prius firma, deinde, ut perspicua, & popularia: neque enim firmitas sine populari perspicuitate proposita, neque hac sine illa. Argumenta popularia sunt, quæ captiū concionis sunt accommodata, & capiunt orationem copiam, h. e. a rebus sensibilibus ducta, & conjunctionem aliquam habentia cum moribus motibusque animi humani, item rebus ad vitam humanam pertinentibus.

(**) Cfr. ERNESTI I. c. P. I. S. I. C. XI. §. 129.

(***) QUINCTILIANUS Lib. V. c. 14. „Nobis ad aliorum judicia componenda est Oratio, & sæpius apud omnino imperitos atque aliarum certe ignoros literarum loquendum est; quos nisi & delectatione allicimus, viribus trahimus, & nonnunquam turbamus affectibus, ipsa, quæ justa ac vera sunt, tenere non possumus. Locuples & speciosa vult esse eloquentia, quorum nihil consequitur, si conclusionibus contortis & crebris & in unam prope formam cadentibus concisa, & contentum ex humilitate, & odium ex quadam servitute, & ex copia saietatem, et ex amplitudine fastidium tulerit.

II

enim studiose incumbere debet, ut non modo possit intellegi, sed etiam, ut non possit non intelligi. Cum rem suam probare studet, argumenta igitur *alere*, ut ait Cicero, & *oratoriis lacertis contorquere* debet, quo auditores & ad audiendum excitet, & intelligentiam eorum adjuvet, & animos impellat. Licet igitur Demonstratio Oratoria a Dialectica illa, quod ad sumtiones cognitas & modum ex iis certas deducendi conclusiones attinet, haud deflectat; ab ea tamen hoc nomine differt, quod a severa ista ratione probandi, quam Philosophi sequuntur, & quæ a doctoribus solum perspici potest, prorsus recedit, atque ita Syllogismis, qui Demonstrationem efficiunt, utitur, ut illi ab auditoribus vix agnoscantur. Nude enim Orator, more Philosophorum, eos non ponit, sed copiose varieque dicendo, adjuvat. — Qui igitur Rethores Syllogismum in Oratione plane rejiciunt, Logicum illum intelligunt, qui ob subtilitatem suam auditores offendit, & tedium ex more servili eorumdem repetendorum verborum phrasiumque, quæ contra in Syllogismo Oratorio variant, oriundum gignit. Ab hoc vero Oratorius plane abit, vel *materia*, quæ in illo semper certa est, in hoc vero saxe etiam verisimilis; vel *ordine partium*, quem varie adhibere Orator potest, minorēm e. g. majori propositioni, aut utrique conclusionem præmittendo (ubi tamen videat, ut consilio suo commodissimum semper adhibeat); vel *formis*, quibus non omnibus, quotquot a Logicis describuntur, sed solis illis, quæ scopo suo sunt accommodatae, uti oportet; vel *propositionum indole*, quæ ab Oratore in exclamations, interrogations &c. saxe convertuntur. Hinc *Syllogismus Oratorius*, judec HEINECCIO, justa dicitur *ratiocinatio*, cuius singulæ partes ita deducuntur atque amplificantur, ut *Syllogismi materia* atque *forma* in tanta verborum copia latitans, non nisi

ab eruditis possit animadvertisse. Quem ita elaborandum esse, idem docet, ut singulis propositionibus, quas præmissas vocant, subjiciatur vel Aetiologia vel Illustratio, vel utraque (*). Ut vero Orator Syllogismos varie, pro commoditate rei demonstrandæ, adhibere debet; ita etiam semper rationem & auditorum & materiae accuratam habens, sedulo cogitare necesse habet, quonam genere demonstrandi potissimum uti sibi conveniat? Notum enim habemus, duplex Dialecticos statuisse genus demonstrandi, *Analyticum* nempe aliud, quod ex alia ad aliam progreditur veritatem, donec ad universalem pervenit, aliud *Syntheticum*, quod ab enunciationibus, nulla Demonstratione egentibus, progreditur ad eas, quæ Demonstrationem desiderant, & ex antecedentibus intelliguntur. Quum tamen illud genus ejusmodi sit, ut paucis temporibus & auditoribus accommodatum reperiatur; jure Rethores Oratorem posteriore in primis genere in re sua enodanda & probanda uti, debere statuunt (**). Sed res nostræ, fusius hæc persequi vetant.

(*) Vid. HEINECCIU^S *Fundamenta Stili Cult.* P. I. C. VII. §. 14. 15.

(**) Vid. BLAIR L. c. XXIX, Vorl. p. 92 sq.